



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Cella Monachorum, hodie Ethonis monasterium, Ethmünster/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

Catalogus  
Præ-  
posito-  
rum.

1. *Henricus.*
2. *Andreas Taurus*, qui obiit anno 1539.
3. *Martinus Herbardus* obiit anno 1540. in die præsentationis Marianæ.
4. *Joannes Schonheintz* obiit anno 1546.
5. *Adamus*, patria Herbipolensis, præest adhuc currente hoc Jubilæo. Hæc ferè omnia communicavit mihi superioris Cellæ Obligarius ac Prior,  
*Andreas Scultetus, honesta natus in urbe,  
Accola quam Francus nuncupat Herbipolim.*

**C**ELLA MONACHORUM, hodie Ethonis monasterium, *Ethymünster* / Benedictini instituti vetustissimum cœnobium ad Nigram Silvam prope Kentzhangum, non procul à Rheno situm, fundatum legitur annum Christi circiter 700. à Wigero vel Wigerno monacho, facto postea Ecclesiæ Argentinensis Episcopo, qui primum ei nomen indidit, ut monachorum, hoc est, solitariorum hominum & eremitarum Cella appellaretur. Cum vero post aliquot annos collapsum esset iterum, non splendide fortassis admodum inchoatum monasterium, renovatum est anno Domini 734. ab *Ethone*, Comite Habspurgio, qui & oppidum ipsum, quod ab eo adhuc *Ettenheimium oppidum* dicitur, construere cœpit. Is ejusdem sui cœnobii primus Abbas fuisse legitur, qui inde ad Episcopatum Argentinensem gubernandum evocatus, laudabiliter ibi præfuit 8. annis. Obiit anno 773. translatus ad suum tandem monasterium anno Domini 780. quod hodie adhuc ab eo Ethonis monasterium dici solet. Fuit is vir religiosus, humilis & pius, scribens se Ethonem peccatorem, indigne vocatum ad Episcopatum Argentinensem. Extat de eo & de hujus cœnobii restauratione tale distichon:

Abbatum  
catalogus.

*Anno terdeno, septingentesimo, quarto  
Antistes claustrum renovando condidit Etho.*  
Ethoni Abbati primo successit 2. *Hildolphus*, secundus Abbas; qui postea vero præfuerunt, eorum non extat integer  
R  
amplius

*Chronologia  
Monasterii  
in Gemmat  
S. III*



amplius catalogus. Invenio tamen & 3. *Litboldum* & 4. *Reginoldum*, Abbates *Ethionici* monasterii, sed quo tempore præfuerint hi, ignoratur.

5. *Burcardus* Abbas præfuit circa annum Domini 1212. ut ex fenestræ cujusdam inscriptione tali patet: *Burcardus* Abbas me fecit, ubi *D.* litera nullius numeri significatrix est.

Huic successere ad hæc nostra usque tempora Abbates, qui sequuntur: quos communicavit mihi *D. Caspar Rieggerus*, Abbas in *S. Mauri* monasterio doctus & humanissimus, qui ante adeptam Abbatiam in *Ethonis* hoc monasterio vixit dignitatibus etiam conspicuus.

6. *Godefridus*.

7. *Nicolaus Fulkesius*.

8. *Hesso* *Alfata*, de *Bergkhino*.

9. *Hermannus*, de *Burnern*.

10. *Nicolaus Fulchesius*, nobilis.

11. *Jacobus de Eschach*, vir nobilis, trucidatur anno Domini 1396. a venatore quodam ministeriali suo, quem propter patrum aliquod flagitium comprehendi jubebat. Sepelitur in sinistro introitu turris.

12. *Andreas Kranch*, ex *Patriciis* *Argentinesibus* natus, successit *Jacobo*. Præfuit annis penè 40. Obiit anno 1437. Sepelitur præclaro *Mausolæo*, in *Paradiso* loco, qui antecessorum omnium penè corpora & sepulturas habet.

13. *Andreas de Untramsheim*, vir genere & virtute nobilis, præfuit annis tantum quatuor. Fuit *Hierosolymis*, & in aliis procul distitis regnis, antequam fieret Abbas. Sub ejus gubernatione in cineres major cœnobii pars collapsa est. Obiit anno 1441. Sepelitur ante introitum chori.

14. *Heinricus Reiff* (quod nomen *Latinis* pruinam sonat) patria *Argentinesis*, patre vero ejus urbis *Scabino* natus, eligitur in *Abbatem* anno Domini 1441. per discordiam. Aliqua enim conventualium pars patrocinebatur cuidam *Antonio* *Turbelio*, quod cognomen *Latinis* botrum vel racemum designat. Cum vero *Antonio* repudiato præferretur *Henricus*, natum est

inde



inde proverbiale dicitur, quod versu exprimere libuit: *Egelidam. Et sterilem botris nocuisse pruina.* Præfuit Henricus annis 30. quibus cœnobium sub antecessore in cineres collapsum præclare restauravit. Obiit anno 1470. Sepelitur honorifice in templi sui choro. Antonius hic contentus paulo post Abbas præpotentis Trevirorum monasterii ad S. Maximinum factus legitur.

*Pruina nocet botris.*

15. *Hesso de Thiersberg*, nobilis vir, successit Henrico. Præfuit utilissime annis 30. Valedixit mortalium hominum conversationi anno Domini 1500. in ipso Jubilæo.

16. *Laurentius Esingerus*, Villingensis, non procul à Danubii fontibus natus, eligitur in festo S. Ulrici anni Dominici 1500. Præfuit laudabiliter annis 43. & aliquot mensibus. Decessit ex mortali hoc seculo anno 1544.

17. *Quirinus*, ex Ethenheim oppido oriundus, patre textore natus, eligitur anno 1544. Præsidet hoc adhuc currente Jubilæo fideliter & feliciter.

**COELI CORONA**, Germanicè *Simmelfron* / pulcherri-  
mum virginum nobilium, Deo & perpetuæ virginitati di-  
catum, cœnobium, & terræ Prætorianæ, hoc est, Voitlandiæ  
montanis, ad dextram albi Moeni, inter Gefresum & Culmba-  
chium oppida Brandenburgensium Marchionum situm, ordinis  
Cisterciensis, dioceseos vero Bambergensis, sub cura & visita-  
tione Abbatis Lanckheimensis, fundatum & ex veteri castro  
Pretzenstorffo constructum legitur anno Domini 1280. ab  
Othone, præpotenti Comite de Orlemunde, qui, consentienti-  
bus filiis suis, Othone natu majore, Hermanno & Othone natu  
minore, obtulit in die Innocentium ejusdem anni, inchoato cœ-  
nobio & castrum & pagum Pretzenstorff, cum omnibus attinen-  
tiis, agris videlicet, pratis, silvis, molendinis, aquis, aquarum  
decurribus, piscationibus, & omnibus aliis juribus. Confirma-  
runt, approbarunt, & auxerunt postea anno Domini 1332.  
hanc ipsam donationem Otho, alius Comes de Orlemunde &  
Kunigundis uxor ejus. Redactum est sub Burggravii Noriber-  
genfis,

*Comites de Orlemund.*

R 2

*Chronologia  
Monasterio  
S. M*